

publica, & communis Regula rationem sortiri debet. Libera sit oportet; quia communem, & tacitum populi consensum indicat: unde etiam factus vi, vel gravi metu extorti; probabiliter ad inducendam consuetudinem non sufficiunt; licet enim tales actus non sint simpliciter involuntarii, non tamen videntur sufficere ad significandum liberum populi consensum, & animum inducendi Jus Legale, cum ipsa populi repitencia potius significet animum faciendi oppositum. Non interrupta sit, necesse est, ut nempe communitas offerente se occasione semper operetur eodem modo: alias legitime prescribi, aut uniformem, stabilemque populi consensum significare non poterit, si vel tota communitas, vel major pars ipsius actum contrarium interponat.

399 Requiritur II. in frequentatione actuum (quo nomine etiam omissiones comprehendunt) saltem interpretativa voluntas inducendi Jus, vel obligationem. Suarez l. 7. cap. 18. Layman cit. cap. 24. Paulus Mezger cit. num. 5. cum communi. Ubi distinguendum est inter consuetudinem contra legem, & præter legem. Consuetudo contra legem tendit ad liberandum ab obligatione legis, & inducitur per omissiones, vel actus legi contrarios, ac in iis requiritur voluntas abrogandi obligationem legis. Consuetudo præter legem tendit ad obligandum, seu inducendum novum Jus præter legem, & requirit voluntatem obligandi: cum enim actus agentium non operentur ultra intentionem eorum, cap. fin. de Præbend. hinc, ut Jus, vel obligatio inducatur, etiam intentio se se obligandi saltem implicita, & interpretativa requiritur. Qua de causa multi actus publicè frequentati, nullam tamen legem aut obligationem inducunt, quia ex mera devotione peraguntur: ut salutatio Angelica ad terno campanæ pullum, aspersio aquæ Benedictæ in ingressu Ecclesiæ &c. Signa aliqua obligationis intentæ, vel inductæ tradit Suarez cit. Si res ex se difficilis nihilominus à plerisque è communitate servetur: si sit Bono communi valde expediens: si populus malè sentiat de contra agentibus: si Superiores in transgressores severius animadvertant &c. In dubio tamen an consuetudine ex animo se obligandi sit introducta, pro devotione, & gratuito affectu potius præsumendum erit: non enim lex præsumitur nisi probetur, & nisi manifestè, constet, nemo præsumitur sibi ipsi onus imponere. Ita Paulus, Suarez, Salmanticenses, Mastrius, Mezger, & alii communiter.

300 Requiritur III. Tacitus saltem consensus illius Magistratus, penes quem est potestas ferendi legem, si illa non sit penes communitatem: ex l. de quibus l. sed &c. ff. de legibus. Et tradit D. Thoma quest. 96. artic. 3. Scotus in 3. d. 39. quest. unic. Aversa, Suarez l. 7. de legibus, Layman cit. cap. 24. num. 2. Mastrius cit. Reiffensuel, Mezger, & communis DD. Ratio est: quia æquè Jus non scriptum, quàm scriptum descendit à Potestate Legislativa: ergo si hæc non est penes communitatem, sed Magistratum, illius quoque Authoritas interponi debet: sed hoc fit per consensum saltem tacitum: ergo. Hinc inferitur nullam dari posse consuetudinem, quæ adversus immunitatem Ecclesiasticam prævaleat, tametsi sit immemorialis; siquidem Summus Pontifex quotannis in Bulla Cœnæ ejusmodi consuetudinem, ceu corruptelam damnat, & improbat. Nec refert, quòd Summus Pontifex sciat, in multis locis contrarium praticari; nam multa, quæ per patientiam tolerantur (ut evitentur majora mala) non hoc ipso comprobantur, præsertim dum contraria potestatio singulis annis renovatur per c. cum jam dudum de Præbend. c. demique dist. 4. Porro prædictus consensus Principis, sive Magistratus alius est Personalis, alius Legalis. Personalis est, qui provenit à Persona Principis, consuetudinis notitiam in specie habentis, eamque, vel expressè, vel tacitè approban- tis. Legalis seu Generalis est consensus Jure communi generaliter expressus pro omni consuetudine legitime introducta: qualis à Superiore Ecclesiastico habetur in cap. fin. de consuetud. & à Civili in l. de quibus, ff. de Legibus. Prior consensus, adeoque, & specifica notitia consuetudinis requiritur, quando nondum adest tempus ad præscribendum sufficiens, tunc enim ad inducendum Jus aliunde robor habere non potest. Legalis vero consensus ad consuetudinem tam præter, quàm contra legem sufficit, quando expletus est temporis lapsus ad præscriptionem requisitus, cum Jura plus non requirant, quàm ut consuetudo sit rationalis, & legitime præscripta. Unde

301 Requiritur IV. Notabilis temporis diuturnitas: sed quanta illa? variant Authores. Et quidem si consuetudo introducatur sciente, & connivente Principe, verisimile est juxta prius dicta, minorem temporis tractum, & quidem illum sufficere, ex quo prudenter colligi potest, prin-

cipem in novi Juris introductionem, vel propriæ legis abrogationem consentire. Verùm quia & hoc nimis incertum est, idèò regulariter ad consuetudinem tam præter, quàm contra legem requiritur Decennium: quia Jura ad introductionem consuetudinis requirunt longum tempus: sed eadem Jura continuaturum decennium reputant longum tempus, l. ultim. C. de Præscript. §. 1. Infit. de usucapient. Ergo illud regulariter ad consuetudinem requiritur. Et hæc est communis DD. sententia, de qua testatur Abbas cap. ultim. num. 11. titul. de consuetud. quantum ad consuetudinem contra legem Civilem Principe igno- rante, & via præscriptionis ducendam, An verò etiam sufficit decennium ad inducendam consuetudinem contra Jus Canonicum, seu leges Ecclesiasticas, multum variant Doctores. Ego teneo cum Lessio lib. 2. de Justit. & Jure cap. 6. n. 46. Lugo disput. 7. de Justit. & Jure. sect. 4. num. 94. Azorio part. 1. lib. 5. capit. 18. quest. 6. Castro-Palao part. 1. tract. 3. disput. 3. punct. 2. Pirrhing. tit. de consuetud. numer. 39. Haunoldo tom. 1. de Justitia & Jure tractat. 1. capit. 3. contro. 2. numer. 130. Herinex, Jure tractat. 1. capit. 3. contro. 2. numer. 130. Herinex, Sannig, Emanuel Sà, Diana, Reiffensuel & aliis, ad abrogandam legem Ecclesiasticam quamcumque vi contrariæ consuetudinis, rationalis tamen, sufficere decennium. Quòd tamen intelligendum est de vera consuetudine, seu quæ solummodò est contra, vel præter Jus commune; non autem de illa, in qua simul agitur de præjudicio tertii, puta alicujus particularis Ecclesiæ; nam ut hujus Juri jam quæ- sito præjudicaret, requirit veram præscriptionem 40. annorum, in confesso est. Ratio est. I. Quia non est inducenda discrepantia inter Jus Civile, & Canonicum, ubi non habetur expressa dispositio Juris in contrarium, cap. 1. de novi oper. nuntiari. atqui ad abrogandam legem Civilem per consuetudinem contrariam sufficit decennium juxta supra dicta, nec quoad hoc reperitur expressa dispositio in contrarium: ergo pariter ad abrogandam legem Canonicam quamcumque sufficit decennium. II. Consuetudo abrogans legem Ecclesiasticam non est contra Ecclesiam, sed potius pro illa, cum ex consensu illius abrogatio ista procedat: neque per ejusmodi consuetudinem eidem tollitur, vel imminuitur ullum Jus, quod ante habuit; cum Papa legem, quæ per consuetudinem abrogata est, liberimè possit restituere, quando id Bono Ecclesiæ judicaverit expedire: Ergo.

Nec obstat, quòd ad præscribendum contra Ecclesiam 302 requiratur spatium 40. annorum. Nam hoc est verum de præscriptione contra Ecclesias sive bona immobilia Ecclesiastica; non autem de præscriptione contra leges Ecclesiasticas: alioquin enim, cum contra Romanam Ecclesiam non currat, nisi centenaria præscriptio, cap. 13. & 14. de præscript. leges Papales non nisi sola centum annorum præscriptione, seu consuetudine abrogari possent; quod tamen etiam est contra communem sententiam Doctorum etiam Adversariorum. Accedit ratio disparitatis inter præscriptionem bonorum immobilium, vel Jurium Ecclesiæ, & inter consuetudinem contrariam legi: nam per ejusmodi præscriptionem bonorum Ecclesiæ, si breviori tempore absolveretur, ipsamet Ecclesia plurimum damificaretur in suis bonis, ac Juribus, utpotè quæ ipsi vi præscriptio- nis auferrentur. Secùs fit in abrogatione legis Ecclesiæ per contrariam consuetudinem, ut modò superius dictum. Itaque paritas præscriptionis cum consuetudine tunc solum procedit, quando per consuetudinem non tantum obligatio legalis tollitur, insuper Jus Ecclesiæ læditur; ut si Parochiani per consuetudinem se eximerent à Decimis solvendis Ecclesiæ; nam tali casu esset consuetudo non tantum legalis, sed verè præscriptiva; & consequenter, quem- admodum ad præscriptionem contra Ecclesiam, ita etiam ad ipsam requirentur 40. anni cum titulo, & hoc deficiente tempore immemorabile: c. Episcopum, de præscript. in 6. quod etiam nos supra num. 301. notavimus ex Reiffensuel titul. de consuetud. num. 105. & 109.

303 Requiritur V. Ut consuetudo sit rationalis & legitime præscripta, ex c. ult. de consuetud. ibi: Licet longæ consuetudinis non sit vilis Authoritas, non tamen est usque adeò valitura, ut Juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationalis, & legitime præscripta. Cùm enim consuetudo vim legis à Potestate Legislativa accipiat, idèò sicut lex debet esse rationalis, ita etiam consuetudo debet esse rationalis, & legitime præscripta. Illa autem consuetudo juxta Suarez l. 7. de lege capit. 6. Azorium lib. 5. cap. 17. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 24. Reiffensuel cit. numer. 34. & plures alii, dicitur Rationalis, quæ non adversatur Juri naturali aut Divino, nec à Jure Canonico reprobatur, nec peccandi licentiam, aut occasionem præbet, nec alia ratione communi utilitati perniciofa est. Ubi

Ubi notandum, ad introductionem legis requiri, ut positivè conferat ad publicam utilitatem: ad ejusdem verò abrogationem vi contrariæ consuetudinis sufficiat, ut hæc communi utilitati non adversetur.

304 Verùm hic non levis insurgit difficultas, nam ut introducatur consuetudo Juris, debet esse rationalis, & legitime præscripta: sed contra legem sub peccato obligantem consuetudo non potest esse rationalis: ex actibus quippe peccaminosis, & contra legem, adeoque, & contra rectam rationem factis non potest oriri consuetudo Rationalis, & legitime præscripta: ergo non potest induci consuetudo contra legem. Respondeo cum Suarez lib. 7. cap. 1. Palao disput. 3. punct. 2. Haunoldo de Justit. & Jure tom. 1. cap. 3. contro. 2. Cletle in Assert. Juridicis, Assert. 3. part. 8. Sanchez, Diana, Lugo, Bonacina, Mastrius, Reiffensuel cit. n. 143. & aliis, posse introduci consuetudinem contra legem per actus etiam formaliter peccaminosos; quæ tamen erit rationalis, & legitime præscripta. Ratio est. I. Consuetudo contra legem introducitur per actus exercitos cum scientia Legis contrariæ cum animo se deobligandi ab illa; atqui actus ejusmodi sunt formaliter peccaminosi: ergo. Minor pars. Major probatur: Actus ex ignorantia, vel errore elicit nonquam præbent sufficiens fundamentum liberi, & voluntarii consensus in legis novæ introductionem, & veteris abrogationem: ergo. II. Consuetudo præter legem non confurgit ex ignorantia, sed fit per liberum consensum, & animum inducendi Jus, & obligationem: ergo etiam consuetudo contra legem fit ex scientia contrariæ legis, cum animo se deobligandi. Quod non fit nisi per actus formaliter malos contra legem exercitos. III. Quia alioquin vix unquam à subditis præscribi posset ulla consuetudo contra legem; cum moraliter impossibile sit, ut subditi ab initio non sciant, se agere contra legem, sique consuetudinem mala fide incipient. Certè, in dubio nunquam posset præsumi pro valore consuetudinis: quia præsumitur lex non ignorari (quin imò Juris ignorantia non excusat, juxta Reg. 13. Juris in 6.) adeoque transgressiones præsumuntur esse peccaminosæ, sique evertentur tota propemodum materia, & Juris utriusque dispositio circa consuetudinem.

305 Nec urget ratio in oppositum, quòd consuetudo debeat esse rationalis, & legitime præscripta. Nam consuetudo debet esse rationalis, non in fieri, sed in facto esse, hoc est, illud Jus, vel obligatio, quæ per consuetudinem inducitur, sicut & non observatio legis per contrariam consuetudinem abrogandæ, non debet adversari Juri naturali aut Divino, nec à Jure Canonico reprobari, nec licentiam aut occasionem peccandi præbere, nec communi utilitati perniciofa esse: aliàs si consuetudo deberet esse in tantum rationalis, ut omnino non esset contra legem, etiam per actus materialiter peccaminosos non posset introduci consuetudo, cum & hæc foret contra legem, adeoque non rationalis; quod tamen, nec Adversarii concedunt. Deinde consuetudo debet esse legitime præscripta, quatenus nimirum tempore legitimo, seu longo debet esse continuata: non verò, quod sicut ad præscriptionem requiritur bona fides, ita etiam ad introducendam consuetudinem contra legem requiratur bona fides; cuius disparitas, præter adductas, supra num. 302. hæc est: Quia præscriptio cum mala fide facta redundet in damnum tertii innocentis, cui res sua injustè auferretur, non sic consuetudo contra legem. Etenim cum lex tota ordinetur ad bonum commune subditorum, si constet per experientiam, optimam rerum Magistrat, quòd à Subditis non observetur, sique non nisi ad conscientiam laqueum deseruiat, non verò ad utilitatem subditorum, tanquam destituta suo fine, sapienter, ac merito à legislatore subditorum infirmitari condescendente, censetur revocari, saltem per consensum suum legalem, & Juridicum, non obstante mala fide subditorum, qui per legis transgressionem antehac peccaverunt. Ex quo etiam patet, subditos ex sua transgressione legis, non directè, sed indirectè commodum reportare, quod nihil est insolitum; nec transgressiones legis formaliter peccaminosæ à subditis committas esse causam abrogationis veteris legis, & inductionis novæ legis, sed consensus legislatoris esse causam; illas verò esse tantum conditionem, qua posita Legislator consentit in legis præexistentis abrogationem, vultque consuetudinem, requisitis conditionibus instructam, vim legis obtinere. Ex his

306 IV. Consequitur, consuetudinem posse abrogare legem Humanam tam Civilem, quàm Ecclesiasticam; non tamen legem naturalem; cum hæc sit immutabilis; nec Divinam: quia consuetudo est Jus merè humanum, utpotè introductum moribus populi, & consensu Principis, pote-

stas autem humana æquit prævalere adversus potestatem, & legem Divinam etiam positivam, utpotè longè Superiorem, quæ Jus consuetudinariam contra suas leges nunquam approbavit.

SECTIO V.

De Cessatione Legis Humane.

307 Hactenus locuti sumus de efficacia, & obligatione legis humane; restat nunc declarandum, quibus modis lex humana temperari, aut omnino cessare possit. Porro legis humane obligatio, vel cessat universim, vel pro casu particulari. Universim cessat, vel per cessationem cause finalis, vel per legis abrogationem. Pro casu verò particulari obligatio legis temperatur partim interpretatione seu Epikia, partim Dispensatione, partim Privilegio. De quibus nunc agemus.

QUESTIO I.

De Cessatione legis per Cessationem Cause finalis, & per legis abrogationem.

SUMMARIUM.

- 309 Mutatio legis potest fieri ab intrinseco, & ab extrinseco.
- 310 Finis legis duplex est, intrinsecus, & extrinsecus.
- 311 Potestque cessare contrariè, vel negativè.
- 312 Quando finis legis adequatus universaliter cessat, cessat etiam lex.
- 313 Non verò cessat lex, si ejus finis inadequatus cessat.
- 314 & 315 Si finis legis in præsumptione periculi fundatæ cessat in casu particulari solum negativè, non cessat obligatio legis.
- 316 Exemplificatur casibus.
- 317 & 318 Cessat verò obligatio legis, si finis cessat contrariè, vel si cessat finis legis in præsumptione facti fundatæ.
- 319 Quæ sit differentia inter abrogationem, & derogationem legis?
- 320 Legem abrogare potest legislator.
- 321 Ejus successor, & in officio Superior.
- 322 An requiratur promulgatio abrogationis?
- 323 Abrogatio legis potest subinde rationabiliter fieri.
- 324 Debet tamen esse prudens, & moderata.
- 325 Facta sine justa causa à superiore Ordinario est quidem illicita, sed tamen valida.

ASSERTIO I.

308 Quando finis legis adequatus universaliter cessat, sive negativè, sive contrariè, cessat etiam lex, ejusque obligatio? Si verò finis legis in præsumptione periculi fundatæ, in casu particulari cessat solum negativè, non cessat obligatio legis: Socius, si ille cessat contrariè. Legem abrogare potest ipse legislator ejus in officio successor, vel in Jurisdictione Superior: si legis humana abrogatio sine justa causa fiat à superiore Ordinario, est quidem valida, atamen illicita: ab inferiore verò, quàm sit ipse legislator facta est etiam invalida. Communissima Doctorum.

§. I. Quando finis legis adequatus universaliter cessat, cessat etiam legis obligatio.

309 Cum res humane, circa quas lex humana occupatur, sint mutabiles, ipsas quoque leges mutationibus subjectas esse, necesse est. Hæc mutatio fieri potest, vel ab intrinseco, vel ab extrinseco. Ab intrinseco fit, cum desinit finis, & adequata ratio legis; ut si lex incipiat fieri manifestè nociva, vel impeditiva majoris boni, vel ad finem intentionis inutilis. Ab extrinseco fit legis mutatio, quando lex, vel à legislatore, vel à consuetudine (de qua jam diximus Sect. præc. qu. ult. §. 4.) abrogatur.

310 Porro finis legis duplex attendi potest; unus intrinsecus, alter extrinsecus. Intrinsecus est honestas ipsius materiæ præceptæ: extrinsecus est honestas à legislatore intentæ, & distincta ab honestate materiæ præceptæ. Sic cum lex præcipit Eleemosynam, ut subditi satisfaciunt pro peccatis, finis legis intrinsecus est honestas ipsius materiæ præceptæ: scilicet sublevatio pauperis, quæ reperitur in largitione eleemosynæ præceptæ: extrinsecus est honestas quæ reperitur in satisfactione pro peccatis à lege præcepta. Hæc posterior honestas à priori est distincta, ac separabilis; & consequenter finis extrinsecus ab intrinseco.



seco, & vicissim. Hinc aliquando conjunguntur, & aliquando non. Quando igitur finis intrinsecus, & extrinsecus in lege conjuncti sunt, non cessat lex, etiam si cesset finis extrinsecus. Ita Communis cum Suarez de Legibus, lib. 6. capit. 9. numer. 9. Ratio est: Quia alias homines, qui carnem suam habent Spiritui debite subiectam, non tenerentur v. g. ad jejuniu; cum in illis esset finis extrinsecus talis legis, videlicet motivum se macerandi in carne, ad hanc Spiritui subijciendam; quod tamen nemo dixerit. Unde adhuc obligantur jejunare ob finem intrinsecum jejuniu, id est, ob honestatem temperantia: Quia legis existentia essentialiter dependet a fine intrinseco legis. Insuper.

311 II. Finis legis potest cessare, vel contrarie, & positive, vel negative tantum. Contrarie cessare dicitur, quando redditur illicitus aut impossibilis: v. gr. Lex precepit jejuniu corporis macerandi causa; si tamen mulier gravida per illam macerationem exponeret foetum periculo mortis, finis legis cessaret contrarie; uti, & si lex preceperet contributionem propter edificacionem pontis, & pons propter difficultatem subortum non possit edificari: quia in priori casu maceratio illicita; & in posteriori edificatio pontis foret impossibilis. Negative tantum finis legis cessare dicitur, dum, esto sit licitus atque possibilis, tamen ad bonum commune, nec utilis, nec necessarius est. Rursus finis legis potest cessare adequatè, vel inadæquatè: idque vel ex parte motivi, vel ex parte subiecti. Ex parte motivi cessat adæquatè, quando cessat tota ratio, ob quam lex condita est: & inadæquatè, quando cessat ratio inadæquata. Ex parte subiecti finis legis cessat adæquatè, quando ratio, ob quam lex condita est, cessat pro tota communitate: & inadæquatè, quando ratio cessat pro una, vel altera communitatis parte in particulari. His suppositis.

312 III. Quando finis legis adæquatus universaliter cessat sive negative, sive contrarie, cessat etiam lex, & ejus obligatio. Ita D. Thomas 1. 2. questio. 103. artic. 4. Suarez de legibus lib. 6. capit. 9. Matritius cit. quest. 6. num. 209. Herincx cit. disput. 3. questio. 16. numer. 202. Paulus Mezger cit. disput. 36. num. 4. Cum communi DD. Ratio est: Quia lex in tantum obligat, in quantum ejus materia est expediens, vel necessaria pro bono communi; atque quando finis legis adæquatus cessat universaliter tam ex parte motivi, quam ex parte subiecti, materia legis non est amplius expediens, vel necessaria pro bono communi: ergo tunc non amplius obligat. Quod confirmari potest tum ex communi Juris axiomate, quod cessante legis ratione cesset quoque ejus dispositio, l. in omni, ff. de Adoptionibus: Tum a paritate voti, quod similiter obligare desinit, quando causa ejus adæquata cessat. Sic lex primitiva Ecclesie preceperat abstinere ab immolatis, sanguine, & suffocatis, cujus motivum erat, ut Judæi ab iis abhorrentes tanto facilius in fide, & Religione cum Gentilibus jungerentur. Qua ratione successu temporis cessante, antiquata fuit illa lex abstinentia.

313 IV. Dicitur est: Quomodo finis legis adæquatus cessat. Nam si esset finis legis tantum inadæquatus, vel partialè motivum, non ideo cessat lex. Ita Matritius cit. Mezger cit. num. 5. La Croix lib. 1. num. 866. Herincx cit. num. 202. Layman cit. capit. 21. numer. 3. & alii apud ipsos. Ratio est: Quia quando sunt plures fines, licet simul sumpti faciant unicum finem totalem, & adæquatam, tamen deficiente uno, si alius maneat, sic ceteri debet sufficiens in ordine ad movendum Legislatorem, nisi oppositum constaret: ergo quamvis cessaret finis inadæquatus legis, non ideo cessaret lex, nec ejus obligatio. Sic Israelitæ, quantum vis alia via fuissent ab Originali peccato mundati, nihilominus tenebantur lege Circumcisionis: quia finis ipsius non erat solum peccati originalis extinctio, & Justificatio, sed etiam distinctio à Gentilibus. Dicitur etiam fuit: quando finis adæquatus legis cessat universaliter, scilicet ex parte subiecti; nam

§. II. Si finis legis in Præsumptione periculi fundata, in casu particulari cessat solum negativè, non cessat obligatio legis.

314 I. Hæc est Communis, eamque docent D. Thomas 2. 2. quest. 154. artic. 3. & 3. Suarez lib. 6. de leg. c. 9. num. 6. Layman cit. Matritius cit. num. 210. & apud ipsum Amicus, Aversa, Caspensis. Item Herincx cit. num. 203. Paulus Mezger, cit. num. 6. & apud ipsum Salmaticenses, Socas, Salas, Reding. Item La Croix cit. num. 868. Aliique plurimi contra Granad. Henriquez, Dianam, & plures alios. Ratio est: quia quando non tollitur ratio adæqua-

ta, nec inadæquata primaria legis, lex non desinit obligare; atque quando ratio legis non militat pro aliquo casu particulari, non tollitur ratio adæquata primaria legis: ergo tunc lex non desinit obligare. Major patet. Minor probatur: Quia remanet adhuc finis legis, qui est directio communitatis, uniformitas operandi in illa materia, præsumptio periculi communis &c. unde

315 II. P. Claudius la Croix cit. num. 868. mihi bene videtur dicere, quod finis adæquatus legis humanæ non possit cessare quoad aliquem in particulari, si quoad communitatem maneat: quia finis legis in præsumptione periculi fundata, non est evitare. quodcumque periculum in particulari, sed periculum in communi, & generaliter; jam autem, est non sit periculum in casu particulari, adhuc est periculum in communi; & generaliter: ergo finis adæquatus legis non potest cessare quoad aliquem in particulari, si quoad communitatem maneat. Idem docet P. Herincx cit. dum ait: dum vulgariter dicitur cessare ratio legis in casu particulari, verè non cessat omnis ratio etiam respectu Personæ particularis, quin adhuc justè præcipiatur illi, quod generali lege cavetur: adhuc enim manet finis generalis, & altior nempe bonum commune, cui manet valde utile servari legem in tali casu, nimirum, ut sit conformitas in membris communitatis, & præcludatur via variis incommodis, quæ sequerentur, si tali, & similibus casibus tribuatur licentia agendi contra legem: nam quique facillè sibi blanditur, causam legis & nunc in se cessare. Imò etiam particularis ratio legis sufficienter afficit casum, in quo communiter dicitur cessare; dum enim prohibetur actus ob inconveniencias plerumque adesse solitas, potest ob illas prohiberi generaliter, etiam, quando istæ inconveniencias non subsunt: manet enim actus equidem talis conditionis, ut frequenter sint illi natæ subesse similes inconveniencias. Finis autem seu ratio legis est vitare generale, seu commune periculum, (quod manet) & non tantum speciale, quod in casu particulari cessat. Ita Herincx cit.

316 III. Sic ob commune periculum fraudum rectè prohibentur, aut irritantur generaliter certi contractus, & electiones: ob periculum incontinentiæ rectè præcipitur generaliter Clausura Monialibus; ob periculum perversionis prohibetur generaliter Lectio librorum Hæreticorum: ob periculum adulteriorum, & libidinum, aliarumque inconvenientiarum, universaliter fuit olim prohibitum (nunc verò omnino irritatum) Matrimonium Clandestinum, atque etiamnum ob pericula impedimentorum occultorum, generaliter prohibetur celebratum sine prævis denuntiationibus &c. Quæ proinde leges indubie etiam afficiunt illas personas, & casus, in quibus per accidens non subest specialiter inconveniens seu periculum, quod generaliter natum est subesse.

317 IV. Dicitur est I. Si finis legis in præsumptione periculi fundata. Quando enim lex fundatur in præsumptione facti, hoc deficiente sive negativè, sive contrarie, in casu, & persona particulari; cessat quoque lex in tali casu, & persona particulari; uti diximus sect. præc. quest. 5. n. 292. Dicitur est II. Si finis legis in casu particulari cesset solum negativè: Si enim cesset contrarie, seu positive, certum est respectu personæ etiam particularis cessare legem: non enim aliter cessat finis legis contrarie, & positive, nisi cum materia, & objectum legis propter mutationem circumstantiarum sit illicitum, impossibile, aut nimis difficile; unde si hoc fiat respectu totius communitatis, vel majoris partis, lex generaliter cessabit; si respectu unius, vel alterius membri tantum, cessabit particulariter. Ita Paulus Mezger cit. num. 7.

§. III. Legem abrogare potest legislator, ejusque in Officio Successor, vel in Jurisdictione Superior.

319 I. Lex si tollatur à Legislatore in totum, dicitur abrogatio Legis: Si quoad partem, dicitur derogatio legis, l. 102. ff. de V. S. Unde quæ de abrogatione dicimus, proportionaliter intelligenda sunt etiam de derogatione.

320 II. Legem abrogare potest Legislator, qui eam tulit. Quia omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, cap. 1. de Reg. jur. Sed obligatio legis nascitur ex voluntate Legislatoris: ergo sublata voluntate obligandi ex parte Legislatoris, etiam cessat obligatio legis.

321 III. Idem dicendum de Legislatoris Successore in officio, vel in Jurisdictione Superiore. Ratio est: quia voluntas Successoris æquivalet in Jurisdictione voluntati Antecessoris; voluntas verò Superioris etiam prævalet: ergo quod in Jurisdictione licuit Antecessori, etiam licet Successo-

cessori, vel utriusque Superiori. Ex quo colliges, Inferiorem non posse abrogare legem superioris; eò quod voluntas Inferioris nullam habeat Jus supra voluntatem Superioris, nisi fortè ex Privilegio, vel præscripta consuetudine.

322 IV. Difficultas est: An quando lex abrogatur, requiratur publicatio, & promulgatio talis abrogationis? negant apud Matritium disp. 2. deleg. q. 6. art. 2. n. 179. Capreolus, Corduba, Conradus, Medina, & alii. Affirmant Azorius, Vasquez, Salas, Caspensis, & Alii. Tandem Lezana, Amicus, & alii cum distinctione procedunt dicentes, quod, quando abrogatio fit cum impositione legis contrariæ, tunc, sicut ad impositionem legis requiritur solemnitas promulgatio, sic etiam ad talem abrogationem. Quando verò abrogatio legis fit sine nova legis impositione, non videtur requiri talis promulgatio, cum illa non sit vera lex; sed cessatio legis, quæ sola Principis voluntate fieri potest. Idem docet noster Herincx cit. disp. 3. q. 16. n. 213.

§. IV. Si legis humane abrogatio fiat sine justa causa à Superiore Ordinario, est quidem valida, sed illicita, &c.

323 I. Mutationem legis, seu abrogationem sæpè rationabiliter fieri, inde patet, quod ob humani ingenii imbecillitatem non semper exactè perpiciantur omnia consideranda; quo fit, ut temporis successu aliquando deprehendatur obesse, aut minus prodesse, quod credebatur amplius profuturum; subditorum quoque ingenia, negotia, aliæque circumstantiæ diversis subunt mutationibus, quibus subinde lex desinit esse utilis. aut incipit communi bono esse minus utilis, aut humanæ fragilitati non satis accommodata; ob quæ recta ratio dicit, eam posse, aut debere mutari. His accedit in valescens paulatim legum multitudo, ob quam subinde lex alioquin utilis licitè revocatur, ut populi onus in gravi legum observantia portandum releveretur.

324 II. Nihilominus mutatio, & abrogatio legum debet esse prudens, & moderata, nec mox, ut melius aliquid occurrat, adhibenda: nam in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo Jure, quod diu æquum visum est, ut dicitur l. 2. ff. de consuet. Princ. Ista enim mutatio hoc continet incommodum, quod estimationem legum diminuat, consuetum populi morem immutat, & (ut ait 8. August. Epist. 118. ad Januarium cap. 5.) quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Plura quoque solent interdum postea apparere incommoda antè non prævisa. Unde Philosophus 2. Politic. 6. existimat, errata quædam Legislatorum potius esse dissimulanda, quam de facili legem mutandam. Quæ

325 III. Si Superior Ordinarius sine justa causa legem abrogat, est quidem illicita legis abrogatio, sed tamen valida. Ita Communis Theologorum, & Juristarum apud Matritium cit. q. 6. num. 178. Paulus Mezger citat. num. 12. Ratio primi est: quia legislator peccat agendo contra exigentiam boni publici; sed abrogare legem sine justa causa, est contra exigentiam boni publici, aut enim lex abrogata fuit utilis aut inutilis Reipublice: si inutilis, jam erat justa causa eam abrogandi: si utilis, ergo sine justa causa illam abrogans agit contra exigentiam boni publici, & consequenter abrogatio legis sine justa causa erit illicita. Ratio secundi est: quia sublata adæquata causa, à qua effectus dependet tam in fieri, quam in conservari, tollitur etiam effectus; atque obligatio legis dependet à voluntate Legislatoris in fieri, & conservari tanquam à causa adæquata: ergo sublata hac voluntate peribit obligatio legis; & consequenter abrogatio erit valida.

326 IV. Dicitur est: Si Superior Ordinarius, sine justa causa legem abroget. Nam abrogatio legis sine justa causa facta ab inferiori, nec est valida, nec licita. Ratio est: Quia Superior Ordinarius non censetur Jurisdictionem, & facultatem concessisse inferiori, abrogandi legem sine justa, & rationabili causa: ergo abrogatio legis sine justa causa facta ab inferiori est illicita, & invalida.

QUESTIO II.

De Cessatione legis, per Interpretationem, & Epikiam.

SUMMARIUM.

- 328 Interpretatio legis quid, & quotuplex?
329 Quid sit Interpretatio declarativa, extensiva, & restrictiva?
330 A quo debeat fieri authentica Interpretatio?
331 Et à qua doctrinalis?

332 Quæ regulæ sint observandæ in Interpretatione legis doctrinali declarativa?

333 Regula secunda. 334 Regula tertia.

335 Regula quarta.

336 Qualiter fieri possit Interpretatio comprehensiva?

337 Debet esse identitas adæquate rationis.

338 Et esse credibile, Legislatorem talem casum, vel personam voluisse comprehendere.

339 Excipitur lex pœnalis.

340 Ideo valet tantum in correlativis, in connexis, & æquiparatis.

341 Interpretatio merè extensiva non habet vim extra judicium.

342 Per Epikiam potest desinere obligatio legis.

343 In quibus casibus habeat locum?

344 An etiam in sententia probabilis, vel in dubio?

345 An in omni lege procedat?

ASSERTIO II.

Interpretatio legis est vera sensus legis declaratio; estque triplex, authentica videlicet, usualis, & doctrinalis. Doctrinalis rursus dividitur in declarativam, extensivam, & restrictivam, seu Epikiam: In declarativa sunt observandæ certæ regulæ: Extensiva si sit comprehensiva, locum habet in lege favorabili, ac preceptiva, non tamen penali: Per restrictivam, seu Epikiam potest lex desinere obligare in casu particulari; non tamen habet locum in omni lege. Est communis apud Autores citandos.

§. I. Interpretatio legis est vera sensus legis Declaratio, estque triplex &c.

328 I. Per Interpretationem legis nihil aliud intelligitur à Doctoribus, quàm explicatio verborum legis, ordinata ad concipiendum verum legis sensum à Legislatore intentum. Estque triplex juxta Glossam in l. 37. ff. de legibus, nimirum Authentica, Usualis, & Doctrinalis. Authentica est, quæ fit per aliam legem prioris declarativam, & obtinet eandem Auctoritatem ac ipsa lex, quam declarat. Usualis est, quæ per usum, & consuetudinem introducit: nam optima legum interpretatio est consuetudo, cap. cum dilectus de consuetud. Imò, & ipsa consuetudo legitime præscripta, habet vim legis, prout sect. præc. qu. 5. num. 297. diximus. Doctrinalis, seu Scholastica est, quæ nimirum à Doctoribus traditur: & hæc per se loquendo, non inducit obligationem, sed probabilitatem, habetque locum non solum in lege humana, sed etiam Divina, & naturalis, quando præcepta legis dubium, vel obscurum sensum præferunt, ut jam dictum supra sect. 2. n. 65. & 124.

329 II. Interpretatio Doctrinalis subdividitur in declarativam, extensivam, & restrictivam. Declarativa est congrua dubiorum, vel obscurorum verborum expositio. Extensiva vel est pure talis, per quam dispositio legis ob paritatem, vel similitudinem rationis, extenditur ad personam, vel casum, neque verbis, neque mente Legislatoris comprehenditur: vel est comprehensiva, quæ lex extenditur ad personam, vel casum, verbis quidem non expressum, mente tamen Legislatoris comprehenditur, ob adæquatam rationis identitatem. Restrictiva est, quæ interpretatur, aliquem casum particularem propter certas circumstantias sub lege, & intentione Legislatoris non contineri: eaque peculiari nomine vocatur Epikia, vel Epichia, vel Epicheia, latine, æquitas, seu benignitas, soletque describi ab Aristotele l. 5. Ethic. & Doctore Angelico ibidem lib. 16. quod sit emendatio legis, qua parvo deficit propter universalitatem. Sive benigna Interpretatio, & restrictio legis secundum æquum, & bonum.

330 III. Authentica legis interpretatio fieri potest à Legislatore, ejusque Successore, vel utriusque in Jurisdictione Superiore, non autem ab inferiore, nisi ad hoc ipsum à Superiore acceperit potestatem ex c. inter alia, de sentent. excom. ibi: unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat. Atque ab his facta interpretatio obtinet vim legis, ut dictum: dummodò subditis per solemnem promulgationem innoteat. Nec obstat, quod sect. præc. q. 2. n. 177. dixerimus, declarationes legum non indigere promulgatione: siquidem id intelligendum est quoad declarationes legum pure tales, cujusmodi sunt Doctrinales, quæ vim legis non habent.

331 IV. Doctrinalis interpretatio legis potest fieri etiam à privatis Doctoribus, si observent regulas communiter præscribi solitas. Ita DD. communiter apud Matritium cit. q. 6. art. 5. num. 225. & habetur l. unic. de Professoribus, cap. 2. de privilegiis in 6. & aliis juribus. Ratio est: quia cum lex non raro ambiguitatem in sua significatione involvat, necessarium erat, ut Doctoribus traderetur facultas